

bitrii, ut auxilium sufficienti resistat. Hinc recte concluditur auxilium sufficiens, quod datur ad supernaturales actus hoc modo efficiendos, in solis auxiliis actualibus consistere; nec contra hoc procedit ratio dubitandi in principio posita, quia, licet habitus det posse, non est tamen necessarius simpliciter ad illud posse, sed solum ad posse tali modo, scilicet connaturaliter, absolute vero illud posse per alia auxilia a Deo suppletur; et ideo ad alium modum agendi potest esse auxilium sufficiens sine habitu.

6. Ex argumentis vero superiori loco positis, primum probat hanc posteriorem assertionem, tertium vero probat secundam partem superioris assertionis, ut facile consideranti patebit. Secundum autem facit vim tantum in voce auxilii, quæ videtur motionem actualem significare. Verumtamen, ut supra dixi, etiam potest sumi pro quocumque Dei adjutorio, sive detur per motionem, sive per habitum, sive quocumque alio modo, et hoc modo dicimus habitum interdum includi in auxilio, vel, ut tollatur vocis ambiguitas, in adjutorio, vel gratia sufficienti ad certum modum operandi; quia vero in præsentia præcipue agimus de actuali gratia, ideo in sequentibus rigorose loquemur de auxilio sufficienti ad operandum, secluso habitu, de cujus efficientia in lib. 2 satis dictum est. Quomodo autem efficientia ejus suppleatur quando potentia sine illo operatur, in lib. 2 explicatum est; nunc ergo de auxiliis actualibus agemus.

7. *Divisio gratiæ in sufficientem et efficacem comprehendit auxilia, tam interna quam externa.* — Denique hinc facile satisfit primo argumento in præcedenti capite posito, in quo petebatur quodnam sit divisum superioris divisionis, in quo imprimis interrogari potest an sit auxilium externum, vel internum, in quo dicendum est divisionem maxime dari de auxiliis internis, quia tam ad sufficientiam quam efficaciam gratiæ imprimis necessaria sunt, et ad utrumque possunt interdum satis esse, quæ omnia ex dictis satis probata sunt; quia vero, secundum ordinariam providentiam, etiam externa auxilia desiderantur, ideo divisionem ita intelligendo, dicendum est, in diviso utraque auxilia externa et interna quasi collective comprehendi.

8. *Falsum est auxilia sola actualia non posse ad operandum sufficere.* — Deinde potest inquiri an in divisione illa actuale vel habituale auxilium dividatur: dicendum est autem, si intelligatur divisio de auxiliis

sufficientibus vel necessariis ad quemcumque modum operandi, sic nec solum actuale adjutorium, nec tantum habituale ibi dividi, sed ab utroque abstrahere, et utrumque includi posse. Nam si membra sumantur collective, ut revera sumi debent, etiam divisum debet esse quid collectivum, ut sit membris proportionatum; ideoque in illo, quatenus colligit multa, includuntur actualis et habituales gratia: abstrahit tamen a collectione includente utramque, vel alteram tantum, quia interdum poterit auxilium sufficiens, imo etiam efficax, utramque gratiam actualem et habituales involvere, interdum in solis actualibus auxiliis consistere potest, quamvis nunquam possit per solos habitus compleri, ut in secundo argumento in secundo membro ejus satis probatur. Quod vero in primo membro dicitur, auxilia actualia sola non posse sufficere ad operandum simpliciter, falsum est, nec inde fit habitus esse superfluos, quia ad modum connaturaliter agendi necessarii sunt, et hoc est satis. Quod denique in tertio membro objicitur de parvulis baptizatis, non est ad rem, quia licet illi habeant gratiam sufficientem, imo et efficacem (si ita licet loqui) ad salutem consequendam, si in ea ætate moriantur, non tamen habent auxilium sufficiens ad operandum, quia pro tunc non sunt capaces operationis; hic autem de auxiliis ad operandum loquimur, ut dixi. Tandem inquiri potest an dividatur ibi auxilium excitans, vel adjuvans, de quo in sequenti capite dicemus.

CAPUT VI.

AN AUXILIUM ALIQUOD VERE SUFFICIENS SIT EX SE INEFFICAX, VEL UNDE ID HABEAT, QUANDO TALE ESSE CONTINGIT.

1. *Status questionis.* — Quoniam dictum est auxilium sufficiens, ut distinguitur ab efficaci, quasi privative illi opponi, ideoque in re ipsa inefficax inveniri, ideo explicandum est unde habeat hanc inefficaciam, et inde etiam constabit quid illa sit. Solum autem potest hæc inefficacia provenire vel ex natura auxilii, ac proinde ex parte Dei, vel ex parte hominis, et liberi arbitrii ejus: inter hæc igitur tantum quæstio versatur. Oportet autem supponere sermonem esse de auxilio proxime sufficienti, id est, quod ad potestatem agendi proxime sufficit, modo superius explicato. Nam si tantum remote auxilium dicatur sufficiens, tunc adhuc expectatur

aliud majus auxilium præveniens, ut fiat proxime sufficiens, et quamdiu hoc non obtinetur, prius erit inefficax ex defectu ulterioris auxilii, poteritque illa inefficacia homini imputari, quia per prius auxilium non fecit id quod proxime poterat ut majus auxilium obtineret. Et ita in auxilio remote sufficienti facile explicatur inefficacia consistens in defectu auxilii completi, ut sit proxime sufficiens. Et similiter facile intelligitur quomodo non in Deum, sed in hominem refundatur. Hic autem agimus de auxilio quod per se est proxime sufficiens, in ratione excitantis, et adjuvantis in actu primo, et nihilominus illum effectum non consequitur propter quem proxime datur.

2. *Prior sententia docet inefficaciam gratiæ sufficientis, pendere partim ex natura ipsius gratiæ sufficientis, partim ex Deo eam dante.* — *Fundamentum ejus sententiæ, et probatio.* — *Confirmatur.* — Dixerunt aliqui, quantumvis auxilium sit proxime sufficiens, nihilominus, præcise spectatum, esse de se inefficax, nisi illi addatur aliud a quo efficaciam accipiat, ideoque ex intrinseca limitatione ejus provenire, ut effectum propter quem datur non faciat, quia nimirum deest illi majus auxilium præveniens, sine quo nunquam ex solo auxilio sufficienti præcise spectato sequitur opus. Unde fit ut talis inefficacia in Deum ipsum refundatur, saltem negative, seu indirecte, quatenus Deus ex se non vult illud peculiare auxilium præstare, sine quo auxilium sufficiens effectum consequi repugnat. Atque ita hæc inefficacia partim est ex natura auxilii sufficientis, quatenus ex se illam habet, nec dat facere, sed tantum posse; partim ex Deo, quia suo arbitrio vult tantum dare auxilium sufficiens, et non efficax. Fundamentum hujus sententiæ sumitur a contrario, quia auxilium efficax de se et natura sua est efficax, et est necessarium ad operandum; ergo auxilium sufficiens de se est inefficax, ut illum assequatur effectum. Probatur consequentia, quia auxilium sufficiens hic sumitur ut præcisum, et separatim in re ipsa ab efficaci; ergo sic solitarie sumptum de se est inefficax, quia deest illi auxilium necessarium ad efficaciam. Et confirmatur primo, quia si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio est causa negationis; sed auxilium de se efficax est ultima ratio adæquata actualis efficientiæ voluntatis et auxilii sufficientis; ergo carentia ejus est adæquata ratio, ob quam auxilium sufficiens manet inefficax; auxilium enim sufficiens in-

tegre subsistit sine efficaci, et ex natura sua illud secum non affert, neque præbet viam aut vires ad obtinendum illud, quia jam non esset auxilium proxime sufficiens, sed remote, ut explicavi; ergo de se est inefficax, quia nisi aliunde accipiat efficaciam, nunquam illam habebit; et hoc est esse de se inefficax. Confirmatur secundo a signo, nam auxilium sufficiens tantum nunquam omnino habet effectum, et hoc est adeo infallibile, ut nunquam deficiat; ergo signum est tale auxilium de se habere hanc inefficaciam, nam causa quæ nunquam infallibiliter consequitur effectum, merito censetur ad talem effectum ab intrinseco insufficientem.

3. *Auctores hujus sententiæ non uno modo explicant radicem illius inefficaciæ.* — *Quomodo Deus dicatur ab illis esse causa inefficaciæ, si neget congruam vocationem.* — Hæc sententia videtur posse tribui auctoribus opinantibus auxilium efficax esse etiam prævium, seu præveniens, esseque de se efficax ac physice prædeterminans voluntatem, ac necessarium ad operandum. Nam ex hoc principio sequitur altera assertio de auxilio sufficiente, ut explicatum est. Nihilominus tamen multi ex his auctoribus, licet concedant auxilium sufficiens de se non esse efficax, nihilominus non audent dicere primam rationem, ob quam tale auxilium in re manet tantum sufficiens et inefficax, esse solam Dei voluntatem, sed homini esse tribuendum, quod difficulter cum priori fundamento conciliatur, ut hic et latius in sequenti libro videbimus. Alii vero non dubitant in Dei voluntatem et providentiam, tanquam in primam radicem, revocare quod auxilium sufficiens ita detur, ut inefficax maneat in his in quibus non operatur, quia auxilium de se efficax est necessarium ad opus, et Deus sua voluntate dat illud cui vult, et negat illud cui vult, juxta illud: *Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis*; cum enim Deus sit supremus dominus suorum auxiliorum, potest illa distribuere sicut vult, et nemini facit injuriam, et videntur hi Doctores quoad hanc partem consequenter loqui; quia auxilium de se efficax est prævium et necessarium: non potest autem homini illo carenti imputari quod ei non fuerit datum, quia sine illo nihil facere potuit, quo illud obtineret, ut infra pressius urgebimus. Adde vero, licet auxilium efficax non sit de se tale, sed in vocatione congrua consistat, nihilominus posse videri soli Deo attribuendum esse, quod homo non recipiat vocatio-

nem congruam, ac subinde quod ejus vocatio sit tantum sufficiens, et non efficax. Probat, quia cui Deus præbet primam vocationem congruam, sua sola voluntate donat, quia non potest homo illam mereri, ut infra ostendemus; ergo cui non donat illam, etiam sua voluntate non donat; ergo hoc modo Deus est causa inefficacis auxilii. Prima consequentia probatur, tum rationibus factis, quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis; tum quia cum vocatio antecedit libertatem hominis, non potest homo esse in causa, quod talis vel talis sit; tum denique quia illa distributio vocationum provenit ex sola dispositione divinæ providentiæ, nam Deus quosdam sua libertate prælegit efficaciter ad gloriam, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam; alios non elegit, et ideo prioribus dat vocationem quæ habeat effectum in eis: posterioribus autem dat vocationem quæ nunquam habeat effectum; ergo tam efficacia vocationis, quam inefficacia in Deum tanquam in primam radicem et causam refundi debet.

4. *Probat ex sancti Augustini variis locis.* — Potest in hujus sententiæ confirmationem adduci Augustinus, dicta q. 2 ad Simplician., circa medium, ubi, expendens Christi verba: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, etc., ait: *Ut, quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia omnes non uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ repèriuntur idonei, et illud non minus verum sit: Non est volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum eis qui secuti sunt vocationem.* Et statim adjungit (quod ad præsentem rem spectat) idem fere, de non electis dicens: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit qua moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi, et non jam similiter verum est: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia non potest effectus misericordiæ Dei esse in potestate hominis, ut frustra ille misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur.* In quo discursu utrumque refert in divinam voluntatem, nimirum, vel efficaciam, vel ineffaciter vocare, et hunc discursum fere usque ad finem quæstionis prosequitur. Est præterea de eadem re difficillimus locus apud Augustinum, lib. de Prædest. Sanct., cap. 8, ubi de auxilio effi-

caci dicit esse gratiam secretam: *Quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, et a nullo duro corde respuitur, ideo enim tribuitur ut cordis duritia penitus auferatur; et statim subjungit: Deum ita docere filios promissionis, id est, electos, quos præparavit ad gloriam, alios vero non ita docere. Cur (inquit) non omnes docet, ut veniant ad Christum, nisi quia, omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet, quoniam cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Ergo ex Dei ordinatione provenit gratiæ inefficacia in his qui per illam non moventur; imo (quod difficilior est) indicat inferius aliquos tantum exterius vocari, et ideo ineffaciter vocari, quia Deus internam gratiam non præbet: *Cum igitur (ait) Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt, prædicatore forinsecus insonante, intus a Patre audiunt, atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, nec discunt.* Ergo hinc habet vocatio quod sit inefficax; ergo id habet ex Deo negante internum auxilium. Tertio, est similis locus apud eundem Augustinum, lib. de Dono persever., cap. 14, ubi de Tyriis et Sidoniis: *Relicti sunt (utique in massa perditionis) qui etiam credere potuissent, si mira illa Christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent erat negatum.* Ubi aperte sentit, sicut Deus, ex libera suæ providentiæ dispositione, quosdam elegit, ita sua voluntate quibusdam dare gratiam efficacem, aliis eam negare, de quibus ait: *Si Dei altiori judicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, et viderent; ergo ex eadem Dei voluntate provenit, ut in aliis non electis vocatio sit tantum sufficiens, et non efficax.*

5. *Inefficacia gratiæ sufficientis non pendet a Deo, sed a voluntate humana, ut a prima radice.* — Probat primo ex sacra Scriptura. — Nihilominus dicendum est primo, inefficaciam sufficientis auxilii nullo modo posse in Deum refundi, nec illi ut causæ, nedum ut primæ radici attribui: sed prima et unica ratio hujus inefficaciæ est voluntas humana. Probat ex Scriptura, in qua hæc inefficacia non Deo, sed homini tribuitur, Actor. 7: *Dura cervice et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto restitistis, utique interius vocanti, et sufficienter inspiranti, et*

adjuvanti, quantum est ex se, ut recte Catholici Scriptores contra Calvinum ponderarunt, et supra diximus; sicut enim Paulus alibi dixit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, ita etiam resistere voci prædicatoris exterius sonanti, nisi per illam vocem Spiritus Sanctus vocaret, non esset Spiritui Sancto resistere, et si vocatio illa non esset interior de se sufficiens, illi non cooperari non esset duritia cordis, sed impotentia, unde neque esset resistentia. Quando ergo vocationi internæ et sufficienti Spiritus Sancti non consentitur, tunc Spiritui Sancto resistitur; ergo talis resistentia tantum abest ut possit Spiritui Sancto attribui quod potius sit illi injuriosa et contraria: vocatio autem sufficiens non fit inefficax, nisi per hanc resistentiam; ergo inefficacia auxilii sufficientis nullo modo potest Spiritui Sancto attribui, sed est potius illi contraria. Et eodem modo probant veritatem hanc alia testimonia huic similia, ut est illud Matth. 23: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti; et illud Isai. 5: Quid amplius facere debui vineæ meæ, et non feci.* Nam profecto, si Deus ipse auctor esset inefficaciæ auxilii, non solum facere omisisset aliquid debitum, sed etiam faceret aliquid indebitum, nam fuisset causa ob quam vinea fructum non dedisset; nulla enim major causa sterilitatis ejus esse potest, quam inefficacia auxilii: idem probant verba illa Osee 13: *Perditio tua, Israel, ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Nam perditio hominis in eo maxime posita est, quod gratiam Dei evacuat, et Spiritum extinguit, ejus auxilio non utendo, quod est illud inefficax reddere; ergo hæc inefficacia hominis ab ipso est, non a Deo, a quo solum auxilium provenit; inefficacia autem non est auxilium, sed potius dici posset defectus auxilii, si a Deo proveniret. Denique hoc confirmant illa testimonia, in quibus dicitur Deus hominum salutem velle, 1 Timoth. 2. Et illa in quibus dicit Deus se nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, Ezech. 18 et 33. Nam cum inefficacia auxilii neque digna potentia, neque vita, aut salus animæ subsistere potest; si ergo Deus procuraret homini auxiliorum sufficientium inefficaciam, proculdubio hominis salutem velle aut desiderare fingere

6. *Probat ex sancto Augustino in Esau.* — In Pharaone. — Secundo, probatur eadem veritas ex Augustino, nam in dicta quæst. 2 ad Simplician., ita de Esau loquitur: *Noluit*

*Esau, et non cucurrit, sed etsi voluisset, et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere præstando vocaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret: ubi in sola Esau voluntatem causam revocat, ob quam vocatio illa non operata est velle et currere, quod est vocationem esse efficacem, quia nimirum illam contempsit; et eodem modo in lib. 83 Quæst., quæst. 68, dicit de Pharaone fuisse vocatum utique sufficienter, et quia vocationi obtemperare noluit, pœnam obdurationis meruisse. Et de vocatis ad cœnam, Luc. 4: *Non omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possunt, nisi vocarentur.* In eis ergo qui non venerunt, ex sententia Augustini, vocatio inefficax facta est, solum quia vocati venire noluerunt, unde generaliter subjungit: *Neque illi sibi debent tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, neque illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera eorum voluntate.* Si ergo alteri non possunt tribuere, multo minus Deo. Tertio, expressum et egregium est Augustini testimonium l. 2 de Pecc. merit., c. 17, ubi prius quærit: *Cum, voluntate humana, gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita homo esse posset, cur non sit?* Et subjungit: *Possem facillime et veracissime respondere: Quia homines nolunt.* Postea vero quærens causam cur nolint, duas reddit, ignorantiam nempe, et infirmitatem, et subjungit: *Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntatem, qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Quarto, in lib. de Grat. et lib. arbitr., cap. 2, reprehendit eos, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur. Et contra eos objicit illud Jacob. 1: *Deus neminem tentat; et illud Proverb. 19: Insipientia viri violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo.* Si autem carentia efficaciam auxilii in Deum, ut in primam causam, refundi posset, profecto magna ratione possent homines excusari apud Deum de ipso Deo. Denique hoc optime confirmat idem Augustinus, epist. 105, dicens: *Deum indurare aliquos non impertiendo misericordiam; et adjungit: Quibus eam non impertitur, neque digni sunt, neque merentur, ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* Consentit huic doctrinæ, et tanquam Augustinianam defendit Prosper ad objectiones Vincent., cap. 7; ad objectiones Gallor., ad 7.*

7. *Probat rationibus prima pars.* — Confirmatur auctoritate sancti Augustini et Pros-

peri. — Tertio, potest eadem veritas rationibus confirmari, duas enim habet partes: unam negativam, quod talis inefficacia non sit Deo tribuenda; alteram affirmativam, quod homini imputetur; et una sequitur ex alia. Unde prima ratio sit, quia reddere vacuum effectum Dei vocationem, in his quæ sunt ad salutem necessaria, seu quando nos vocat ad implenda præcepta, non fit sine peccato, aut sine aversione hominis a Deo; sed aversio hominis non potest Deo tanquam auctori tribui; ergo neque inefficacia sufficientis gratiæ potest illi tribui. Consequentia evidens est. Major etiam nota est ex Scripturis allegatis. Cum enim Stephanus Judæos reprehendebat, quod Spiritui Sancto restitissent, gravissimæ culpæ illos arguebat, et idem confirmat divinæ sapientiæ comminatio, Proverb. 1: *Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, desperavistis omne consilium meum, et interpretationes meas neglexistis; ego vero in interitu vestro ridebo.* Et ideo etiam Christus Dominus Judæis dixit, Joan. 15: *Si non venissem, etc., nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* utique infidelitatis, ut exponit Augustinus. Et ratio est clara, quia auxilium sufficiens non fit inefficax, nisi non cooperando illi; sed qui non operatur, seu resistit, vel non respondet vocationi in materia necessaria et præcepta, eo ipso non implet præceptum; ergo illa resistentia non fit sine gravi culpa; sicut ergo gravis culpa non potest Deo imputari, ita nec inefficacia auxilii. Unde merito dixit Augustinus, lib. 2 de Peccat. merit., cap. 5: *Si a Deo avertimur, nostrum est, et tunc secundum carnem sapimus,* etc. *Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit;* et cap. 18: *Quod a Deo nos avertimus, nostrum est,* etc.; et Prosper ad cap. Gallor., in 7, cum dixisset multos prius a Deo apostaturos, et in sua aversione finire, subjungit: *Sed horum lapsum Deo tribuere immodicæ pravitatis est.* Imo addo non solum in materia præcepti, sed etiam in materia consilii resistere divinæ inspirationi, et auxilio divino sufficienti, illudque inefficax reddere, nunquam esse ex Deo, sed ex homine. Ratio est, quia licet illa resistentia liberi arbitrii, per quam tale auxilium redditur inefficax, interdum non sit peccatum, semper est defectus quidam, et imperfectio virtutis, ideoque non potest in Deum refundi. Item, quia quoties Deus præbet auxilium proxime sufficiens ad aliquod bonum propositum, vel actum ipsius hominis, procedit ex voluntate Dei, saltem

antecedente, qua vere et non fecte cupit ut homo habeat talem actum; ergo non potest ipse Deus esse radix et causa resistentiæ hominis, quia hoc repugnat cum illa Dei voluntate, si vera sit, et non ficta. Nam velle, quantum ex se est, ut actus fiat, et alioqui impedire cooperationem hominis, vel ex propria voluntate esse causam resistentiæ ejus, repugnantia sunt. Item quia si vocatio est vere sufficiens, confert homini, et in ejus potestate et arbitrio constituit, quidquid necessarium est ad efficiendum actum ad quem tale auxilium dicitur sufficiens; ergo fieri non potest ut per Deum ipsum stet quominus talem actum efficiat, quia hoc aperte repugnat cum auxilii sufficientia ex parte Dei. Atque hæc rationes concludunt universaliter, et in quacumque materia, non posse inefficaciam auxilii, alioqui sufficientis ex parte Dei, ipsimet Deo tanquam primæ radiei, aut veræ causæ attribui. Repugnat enim talis providentiæ modus, vel cum divina voluntate, vel cum constantia et immutabilitate voluntatis ejus, ac subinde cum ejus sapientia, et erga homines charitate.

8. *Probaturs secunda pars assertionis.* — *Confirmatur ex sancto Augustino.* — *Ex sancto Anselmo et Hug. a S. Victor.* — Atque hinc concluditur altera pars, nimirum solum hominem et infirmam ac fragilem voluntatem ejus esse propriam causam inefficaciæ sufficientis auxilii. Probaturs primo, quia nulla causa creata, ut Dæmon, cælum, appetitus inferior, hominis suasio, vel alia similis, potest hominem cogere seu necessitare ad non respondendum vocationi, quando illa sufficiens est, ut suppono; ergo ex sola intrinseca libertate hominis recipientis oritur ille defectus, quia Deus non vult illi inferre necessitatem, nec erat conveniens, quia destrueretur meritum, et humanus operandi modus; et alioqui voluntas ipsa creata deficiens est, illi ergo debet tribui defectus cooperandi gratiæ, non Deo. Item hoc evidentius probatur, quoties in hac resistentia, seu dissensu a vocatione, peccatum intervenit; quia propria causa culpæ, hominis est arbitrium; ergo quoties inefficacia auxilii ex culpa hominis nascitur, illi tribuenda est, non alteri. Hoc item generaliter probat ratio de sufficientia auxilii, nam si homini datur auxilium sufficiens ex parte Dei, quale a nobis explicatum est, per nullam causam extrinsecam potest efficaciter impediri, quia, licet forte instet tentatio, si auxilium Dei in eo tempore et in ea opportunitate, in qua datur, est simpliciter sufficiens, consequenter

de se potens est ad vincendam omnem tentationem: ergo quod homo succumbat, et inefficax reddat tale auxilium, illi soli tribuendum est. Et hoc satis confirmant adducta testimonia, quibus addi potest egregium Augustini testimonium, lib. 3 de lib. Arb., cap. 16, dicentis: *Ex eo quod non accepit, nullus est reus, ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est: debet autem si accepit et voluntatem liberam sufficientissimam facultatem.* Unde subinfert: *Deum non facit quisquis quod debet, nulla culpa est conditoris;* duo enim requirit Augustinus ut aliquid homini imputet, scilicet voluntatem liberam, et auxilium sufficiens: hæc autem supponuntur in homine impediente auxilii sufficientis effectum; ergo illi soli imputatur. Eandem doctrinam late tradit Anselmus, lib. de Concord., cap. 3, aliquantulum ab initio, ubi in summa docet illi soli posse lapsum attribui, cui et adjutorium non defuit (utique sufficiens), sed illud recipere noluit. Denique Hug. Vict., lib. de Sacram., part. 5, cap. 24, de Angelis qui steterunt et ceciderunt ait: *Qui convertebantur, idcirco bene movebantur, quia gratiam cooperantem habuerunt; sed qui evertantur, non ideo præcipitabantur, quia gratiam cooperantem non habuerunt, sed idcirco a Deo deserebantur, quia avertantur et præcipitabantur.* In quo testimonio multa sunt notata digna, quæ pro discursu disputationis de gratia efficaci multum deserviunt. Quod vero nunc ad rem ponderamus, solum est, etiam in Angelis non referri inefficaciam in auctorem gratiæ, sed in liberum arbitrium. Et similia habet, licet obscurioribus verbis, in Summa sentent., p. 2, cap. 3, quæ postea commodiori loco explicabimus.

9. *Gratia sufficiens non est de se inefficax.* — *Ideo voluntas indiget gratia quia ex se est inefficax in actu primo.* — Tandem ex dictis concluditur auxilium sufficiens non esse de se inefficax, potestque in hunc modum declarari et probari. Quia si gratia sufficiens est de se inefficax, vel intelligitur de inefficacia in actu primo, vel tantum in actu secundo (quæ distinctio in cap. 1 declarata est); neutrum vero dici potest; ergo. Minor probatur quoad priorem partem de actu primo, quia inefficacia in actu primo idem est quod insufficientia; ergo si auxilium supponitur sufficiens, non potest esse de se inefficax in actu primo. Consequentia evidens est. Antecedens autem patet ex declaratione supra data de auxilio efficaci in actu primo: nam oppositorum proportione

servata, eadem est ratio: dicitur autem auxilium efficax in actu primo, quod de se potens est ad efficiendum actum, etiamsi de facto effectus non sit. Hoc autem ipsum significatur nomine auxilii sufficientis, et ideo Patres sæpe illud efficax vocant, utique in actu primo; ergo si auxilium est sufficiens, est etiam de se efficax in actu primo. Unde arguor secundo, quia cum tali auxilio inefficaci voluntas non solum non operabitur, sed etiam non potest operari; ergo si voluntati datur solum auxilium de se inefficax, non potest illi imputari, etiamsi non operetur, cujus contrarium probatum est. Antecedens patet, quia sine actu primo de se efficaci, id est, habente vim activam necessariam, non potest potentia prodire in actum, maxime cum etiam supponatur potentia de se inefficax ad actum, nisi aliunde ejus defectus suppleatur. Unde sumitur tertia ratio, nam ideo voluntas indiget auxilio superaddito, quia de se est inefficax in actu primo; ergo si auxilium quod additur, est etiam de se inefficax, indigebit alio auxilio complete efficaciam in actu primo: ergo sine illo erit impotens prius auxilium, sicut est voluntas sine eodem auxilio. Tandem si auxilium sufficiens esset hoc modo inefficax, omnis defectus hominis in operando attribuendus esset defectui gratiæ, et consequenter Deo, et (ut sic dicam) imperfectæ providentiæ ejus; quod quam sit falsum, et ostensum est, et prosequar.

10. *Respondetur objectioni.* — Dicit aliquis has rationes recte procedere de auxilio proxime et complete sufficienti, et de illo convincere esse efficax de se in actu primo, nihilominus tamen posse dari auxilium absolute sufficiens, quod non est completum principium in actu primo, sed indiget aliquo alio complemento. Respondemus tale auxilium non esse proxime sufficiens respectu illius effectus, ad quem requiritur novum auxilium per modum principii et actus primi; et ideo necessarium esse ut detur aliquis prior actus ad quem tale auxilium sit complete sufficiens, vel certe nullo modo esse auxilium sufficiens, ex dictis superioribus constare potest, et in sequentibus iterum atque iterum occurret necessitas illud inculcandi. Vel denique illud novum auxilium non erit necessarium per modum principii, sed alio modo, nimirum per modum actionis, et ita non erit in se necessarium ad posse, sed ad agere. Oportebit igitur ut sit in potestate hominis habentis auxilium sufficiens, alioqui sufficientia destruetur, ut capite supe-